

Wiesner, Antonín: Dějiny prostituce a příjice v Československu, Praha 1925, s. 19–20.

Quia mulieres vage, quae extra civitatem in monte purcelpuhel ab antiquo residere et exercere meretricia hincinde ibidem discurendo consueverunt, per dominam Marchionissam, que civibus hoc mandavit, sunt repulse. Ideo tum frequenter puliani, mali homines et pires in eisdem domibus recipere se consueverint, per quos illi, qui mulieres accedebant, saepius vestibus et eorum pecunia spoliabantur vel vulnerabantur, et quandoque occidebantur, cives dictis domibus extra civitatem crematis, et mulieribus, ne de cetero ibidem in purcelpuhel facta sua faciant, prohibitis, ordinauerunt quatuor domos in civitate in platea Boemorum retro Judeos, ubi in futuro et non alibi in civitate dicte mulieres perpetuo residenciam habeant. Et quia puliani, lenones et alii mali homines mulieres ipsas ad census nimis gravem eis solvendum artaverant, statutum est, ut omnia predicta mala tollantur, et ulterius non fiant, quot de dictis quatuor domibus.

Pidetlina tenebit duas, septimanatim de qualibus earum quatuor grossos censuando ad cameram Civitatis, singulis quartis feriis, et quacumque eodem die census per hospites earundem domorum magistro camere praesentatus non fuerit, tunc statim sequenti quinta feria illa, que census neglexerit, pro quatuor grossis dabit sex grossos. Eisdem etiam domos mulieres per se edificabunt et réformabunt, sicut in ejus commodo suis voluerint habitare. Et cives providebunt uni orphano qui census habuit super una predictarum domorum, qui natriatur et artem doceat mechanicam. Plebanum etiam de sancto petro expedient cives de tribus marcis, quas habuit super una tali domo. Et similiter expedient thamarum canonicum de centu octo grossorum et quatuor pullorum, quam habuit similiter super una earundem domorum. Reliquas autem duas domos habebit Pragarinna per vitam suam, de quarum una percipiet septimanatim census sex grossorum; et de secunda census quatuor grossorum, et in eximis suis legabit, cui voluerit, tres marcas grossorum quas civitas solvere debet. Et insuper, quia una domus earundem censuat Elblino cauponi mediam marcam in carnisprivio, illum census cives debent redimere cum tribus marcis, ita quod pragarrina nulli censuet de dictis domibus. Et vero mortua idem census sex et quator grossorum septimanatim die et modo ut supra perpetuo ad civitatem et ejus cameram pertinebit. Et subjudices, precones et alii officiales iudicii seu civitatis nullum ius in dictis domibus et censu earum sibi debent usurpari. Quandocumque etiam domos easdem visitant illis quos ibidem invenerint, sive pro tempore intraverint, sive nocturnum ibi faciant, nullam inferre debent violenciam nec bibales ab eis extorquere, nec alias daciones ab eis exigere, sicut se voluerint in suis officiis conservari. Et in dictam ordinationem consenserunt cum graciaram actione pragarrina, Pllatlinna,

swagerinna et alie hospites conventrices domorum predictarum. Actum sub Wenczeslav de Thusnawig magistro civium, Luczone de Vitis, Marco poherliceri, Jacobo swerceri, Anselmo, henslino glesli; Jacobo alsanni, Georgio de domo Theutonica, heinrico vuchs, nicolao swerceri, conrado pistore, gerhardo de wisschano, heinelino pellifice, Johanne aurifabro, Johanne Jacobi, Bohuschio de thusnawiez et aliis iuratis, modernis et antiquis. Sabbato in crastino festi beati luce Evangeliste in stuba Wenczeslai de Thusnawiez magistri civium supradicti (anno 1353).